

LUDOVICI XII. GALLIARUM REGIS, CUSI, UTI APPARET, ANTE, VEL post pugnam ad Ravennam commissam. Anno Christi

1512.



LUDOVICUS XII. Galliarum Rex Julio secundo Pont. Max. admodum infensus, opera Bernardini S. Crucis purpurato Hispano, & ejus collegis Concilium, Mediolani decrevit, Pisani habere coepit. Julius verò aliud Romæ, in Laterano Concilium, in ante diem Calendarum Maij anni sequentis, indixit. Ad Pisanum Ludovicus in toto regno quatuor & viginti Episcopos misit: Cæsar, ob auxilia aliò deducta, regi offensus post Lateranense concilium à Pontifice promulgatum neminem Pisas legavit, sed Episcopos suos Augustæ Vindelicorum super hoc negotio consultari jussit. Julius interim, uti contra Gallum vires suas firmaret, Pisanumque conciliabulum impediret, sub anni finem foedus cum Arragonio ac Venetis de mutuâ sociorum defensione, percussit. Rex, alienatum à se Maximiliani animum videns, ut cum hoste, antequam ille aperte cum confœderatis se conjungat, debellaret, aut operæ pretium aliquod insigne faceret, Gastoni Foisseio, qui Brixiam per eos dies caperat, uti hostem aggrediretur, scripsit. Foisseius, Ravenna necquicquam tentatâ, ad Pontificis exercitum advenientem conversus, memorabili prælio victoriam adeptus, ab Hispanis, quibus abire volentibus fugam permittere noluit occisus est. Cecidère utrinque fortissimi quique ad decem millia: quorum trientem ex Gallis: reliquos ex Italis & Hispanis fuisse memorant. Incidit hoc prælium in solennem Dominicæ resurrectionis diem, qui eo anno Aprilis erat undecimus. Victoriæ apenes Gallos stetit luctuosa, propter ducis & nobilium quorundam cædem, *letior futura, si ille fugienti hosti, ne desperatio in fortitudinem vertatur, vel argenteum pontem esse substernendum meminisset.* Ravenna victoribus se dedit, à quibus direpta est. Gerardus de Roo in *Annalibus Austriacis.*